

tiām hominis contaminant, qvō casū Essentia humana
 corrupta qvidem est, sed ipsum tamen peccatum non est.
 Cui ex præcipitantia olim adserto adhærebat Flacius.
 Regeneratur verò Substantia, non peccatum originale,
 qvod qvidem adhuc adhæret, sed supprimitur, ne præ-
 dominari possit. Sic paleæ atqve lolium frumentum etiam
 vitiant, sed prudens Paterfamilias eo posthabito, *triti-*
cum in suos vertitere novit usus. Deus etiam Hominem re-
 generat, salvumqve tenet, suo loco relicto peccato ori-
 ginali. Simili ratione Eliæ & Christi temporibus septem
 millia, imò plurimi, qvi *promissionem Patris* expe&tabant,
 servabantur, et si Propheta se solum relictum arbitrare-
 tur, sic etiam Christus à fermento Pharisaico, Matth. XVI.6.
 XXIII. 15. cavere jubet, mandans tamen omnia, non
 hæretica illa, sed Levitico - Typica atqve moralia dogma-
 ta, Lege & Evangelio comprehensa, tenere. Ita fidari
 posset casus, ut *Socinianus* aut *Arianus*, nudo nomine non ri-
 talis, solâ infirmitate percitus, cœtibus istis externe & de facto
 adhuc adhæreret, clam tamen meliora edoctus, *Trinitatem*
 sanè coleret, *Meritum* divini Redemptoris gratus devenera-
 retur, eum hæreticæ qvidem Sectæ, sed non ejusdem sensus
 ac damni compotem, qvanqvā ne sic qvidem ab omni etiā
 periculo liberum futurū esse censerē. Sed talismodi exempla
 nondum hactenus ostensa sunt, nec adeò faciunt regu-
 lam! Si tamen *Fridlibius* hâc ratione se expediret, non habi-
 turus esset facile contradicentes. Ipse verò Charitatem tan-
 tum urget, ac cætera pro cerebrinis saltim habet. Ita in *Papi-*
stica Ecclesiæ Natis atqve *Educatis*, eamqve pro unicè verâ a-
 gnoscentibus, qvamdiu *Baptismum* cum *Biblis* prælectis
 habent, semen Ecclesiæ adhuc inesse putem, mōdō absit fucus
 atqve malitia, qvæ voluntariorum ut plurimum *apostatarum*
 est,